UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvscvla Sacra Matthaei Raderi E Societ: Iesv

Rader, Matthäus

Monachii, 1614

Capvt II. De simplici obedientia Sanctorum vsque ad necem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42973

Visual Library

DE SIMPLICI OBEDIENTIA SANCTORVM VSQVE AD NECEM.

CAPVT II.

ABRAHAMVS PATRIarcha.

PRIMA religiosorum omnium eaque perfectissima forma fuit Abrahamus, qui iussus excedere patrio solo, auita relinquere arua, domũ, ipsos parentes; extemplo paruit: etsi nec quo sibi eundum sciret, nec vbi subsistendum, nec quomodo familia alenda tuendaque. Sequuntur Abrahamum viri religiosi, qui cœlesti sæpe impulsu, aliisque rationibus inducti DEI caussa neglectis omnibus rebus humanis, & spe cum re proiecta properant ad Deum, sciunt tamen quo sibi tendendum, quæ vitæ ratio instituenda, vbi hærendum, etsi hoc non pari ratione omnes. Omnia tamen fugientia abijciunt, vt æternùm permansura obtineant.

Gen. 12. & 28 Cass. 14. Inst. cap. 27. & 28 Hist. Patrũ. p. 3. pag. 157. & seq.

Illustrius est alterum Abrahami factum, quo promtissimo animo dulcissimum & obsequentissimum filium ad DEI nutum & impe-

Gen. 22. Abrahami promta obsequela.

imperium festinauit immolare, paternaque manu cęsum, victimam cremare. Non disputauit cũ Deo, quo pacto promissa eius essent cum hoc præcepto comparanda, cum pollicitus esset illi, fore vt ex Isaaci stirpe, proseminata posteritas, omnesque gentes cœlesti gratia dignarentur, Isaacus id ætatis adolescens, vxorẽ nondum duxerat, & occidi iubetur, spondeturq; interim Abrahamo ex ipsius satu gentes proditurasq; non disputauit cum æterna sapientia mortalis simplicitas, sed ἀδιακρίτῳ καὶ ἀνεξετάστῳ imperio numinis quamprimum obtemperauit. Quo loco simul illud obseruandum, diuini iuris consultos conari Abrahamũ ab orationis vanitate excusatum ire, quod, seruis ad radicẽ montis iussis subsistere, dixerit se cum filio reuersurum, quem tamen animo destinarat occidere, illumq; nescium vaticinatum, aut communi ritu locutum, *si Deo visum, Deo sic volente*; aut *non aliud instituente*. Sed B. Paulus ad Hebr. docet Abrahamum non nescium vaticinatum, nec communi hominum more locutũ, sed affirmasse: Credidisse enim Deo stirpem per filum suum in immensum auctum iri, sed filium occidendum putauit, moxque in vitam reuocandum, Deo enim tam facile esse occisum in vitam restituere, quàm eundem ex ni-

S. Ambros. D. Thom. 2. 2 Caietanus. Petrus Alexand. in Chronico vulgo Siculo M. S.

ex nihilo procreare. *Fide* inquit D. Paulus, *ob-* *Ad Heb. 11.*
tulit Abraham Isaac cum tentaretur: Et vnigeni-tum offerebat, in quo susceperat repromissiones (ad quem dictum est; quia in Isaac vocabitur tibi semen) arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus, vnde eum & in parabolam accepit. Tu tamen interim lector Abrahami virtutem naturæ fines excedentem attentius inspice: Iussus est, in victimam cædere filiũ suum, eumque ex libera & ingenua Sara vnicum, lectissimum & dilectissimum adolescentem & patris nutum obseruantem, ad matris voluntatem se vsquequaque conformantem. Iussus eum sua non aliena manu occidere; quod parenti omni morte durius. iussus triduanum iter cum eodem conficere, vt ipsa mora temporis affectum augeret, & naturam patris exerceret. *Per triduum*, inquit Alcui- *Alcuinus.*
nus, *crescentibus curis, paterna viscera cruciantur, & prolixo spacio pater filium intuetur: Cibum cum eo sumit, tot noctibus pendet puer in amplexu patris, cubat in gremio & per singula momenta in paterno affectu dolor occidendi filii incumulatur.* Iussus adolere in holocaustum, vt nihil solatii relinqueretur patri, quo veluti mnemosyno leniret animi sensum. Iussus in alto montis vertice, quem veluti crucem oculis defixam ante & post cædem filij

ſemper in conſpectu haberet. Addidit etiam de ſuo vt penitus ſe patrem oblitus videretur, faſcem lignorum quem ante iumenta geſtarēt, ſubire cogit natum, famulos, ne litaturum viua hoſtia interpellarent, ſubſiſtere iubet, ille cum Iſaaco ſolo ſolus iugum montis aſcendit. Quid de vltima filii interrogatione, *Pater mi*, & patris reſponſo, fili mi. Quid? Cum prehenſum vinciret, dextram ferro armaret, gladium vibraret, & iam iam caput à ceruicibus auulſurus altum tolleret, iugulo immineret, nihilq; ſupereſſet, niſi vt mactaret? Quæ hæc virtus? Quis iſte naturæ ſenſus, & ſui ipſius ingens victor? An altius ire potuit? An ipſe non millies maluiſſet occumbere, quàm delicias ſuas & matris gaudia, quàm ſpem omnem poſteritatis, quàm innocentiam ipſam trucidare? Sed auctori vitæ & necis parendum iudicauit, à quo pro vno filio totas gentes, pro mortali vita, immortalem vna cum filio erat recepturus.

CHRISTVS IESVS.

ENimuero Abrahamus & Iſaacus Chriſti ſoteris noſtri ſignum & ſymbolum
Ad Phipp. 2. fuêre, qui patri ſuo *obediens fuit vſq; ad mortem; mortem autem crucis.* Quæ res tam diuina complectitur

plectitur arcana, vt hebes mortaliũ acies id neque capere, neque assequi cogitando possit. Tradunt enim rerum diuinarum consulti Christum, simulac in Virginis vtero cœpit homo esse, votum crucis subeundæ suscepisse, Deumque patrem gratissimum hoc habuisse, præcepisseque vt solueret. Audi Soaresium nostrum. *Ex quo aliqui probabiliter opinantur, sicut Christus habuit præceptum moriendi pro hominibus, ita etiam de eadem re votum emisisse. Atque ad hoc accommodat illud Psal. Vota mea domino reddam. Nam Psalmum illum de Christo omnes interpretantur. In eo enim habentur verba illa, quibus Christus in cruce vsus est, Deus Deus meus quare me dereliquisti, & ita Glossa ibi verba illa de Christo interpretatur: Et quamuis D. Thom. probabiliter dicat Christum ibi esse locutum in persona suorum membrorum, si tamen propriè, & sine incommodo potest de Christo intelligi, cur non ita interpretabimur? Nam & Hieron. ibi inter alia inquit: Vota Christi sunt natiuitas, vel passio, vel mysterium corporis, ac sanguinis eius. Quæ non possunt vota dici, nisi quatenus voto oblata sunt. Eodem fere modo exponit August. ibi. Basil. verò, & Theodo. addunt votum ibi propriè significare promissionem. Est ergo probabile Christum in primo instanti conceptionis suæ, se voto consecrasse Deo ad redimendos homines, & in hunc finem omnes actiones, ac passiones vitæ suæ voto obtulisse.* Idem

Soarez Tom 2. q. 28. sect. 2. Christus in vtero Virginis vouit mortem crucis.

Psalm. 21.

Io. Maſellus de Vita B. V. lib. 3. c. 19.

alii nonnulli docent, Chriſtum ipſo momẽto, quo humanitas cum diuinitate hypoſtatikῶς coniuncta eſt, plenũ rationis, ſanctitatis, & beatitatis, diuinitatem ritu cœlitum, & infinitis tamen partibus perfectius contemplatum, pro tanti beneficii immenſitate totum ſe Deo patri, totum inquam filium Deum, hominẽ factum ad omnes pro liberandis mortalibus indignitates & ipſius crucis contumeliam & infamiam ſe libentem volentem concepto voto obtuliſſe, cum enim videret placere cœleſti patri, vt vitam pro mortalibus profunderet, vltro ſe ad eam ponendam obſtrinxit. Et eam Dei patris voluntatem mandatum vocat natus Dei. *Sicut mandatum dedit mihi pater, ſic facio.* Et de voto ſignate in regio carmine regius vates: *Vota mea domino reddam.* Sed multo explicatius optimus diuinæ mentis & Chriſti interpres Paulus. *Ideo ingrediens in mundum dicit, hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi, holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti: Tunc dixi, ecce venio.* Affirmant de Chriſti voto S. Auguſtinus, Hieronymus, Theodoretus, Baſilius.

Ioa. 10.

Pſal. 115.

Heb. 10.

MVCIVS, MONAchus.

Habuit

HAbuit Abrahamus, qui fuit vmbra Christi, generosissimi & immortalis facinoris æmulos ex seris, non genere, sed spiritu, germanissimis tamen nepotibus complures, quorum facile principem locum obtinet Mucii religiosissimi cœnobitarum præsidis parata simplicitas & simplex obsequiũ, cum iussus paruulum filium in flumen spargere, sine mora exequi cœpit imperantis voluntatem: Sed Cassianum audiamus hoc nobile factum oculis legentium subijcientem: *Nunc Abbatis Mucii factum memoria dignum comprehendam. Hic namque abrenunciare desiderans huic mundo, tam diu pro foribus monasterii excubans perdurauit, donec immobili perseuerantia sua contra omnem consuetudinem cœnobiorum cum filio suo paruulo, qui octo circiter erat annorum, vt susciperetur eliceret. Cumque tandem recepti fuissent, confestim non solum diuersis præpositis traditi, verum etiam cellæ habitatione disiuncti sunt, ne scilicet iugi visione paruuli, reminisceretur pater ex omni sua, quam renuncians abiecerat facultate atque affectione carnali, saltem sibi filium superesse: Et quemadmodum se iam diuitem non esse sciebat, ita etiam patrem se esse nesciret. Quod vt plenius probaretur, vtrum videlicet plus faceret affectione sanguinis ac suorum viscerum charitate, an obedientia & mortificatione*

Cassianus.

Cassianus. Lib. 4. c. 27. p. 60.

tione Christi, quam renuncians quisque pro eius debet amore præferre, de industria negligebatur paruulus, pannis potius, quàm vestimentis indutus, sordibus quoque ita obsitus ac fœdatus, vt offendere potius, quàm delectare paternos oculos posset, quoties ab eo fuisset aspectus: Sed etiam colaphis atque alapis expositus diuersorum, quas plerumque sub obtutibus suis innocenti paruulo etiam gratis cernebat infligi, ita vt nunquam genas eius nisi lacrymarum sordentibus vestigiis videret infectas. Cumque taliter infans sub oculis eius per dies singulos ageretur, pro amore nihilominus Christi & obedientiæ virtute, rigida semper & immobilia patris viscera permanserunt. Non enim tam reputabat suum filium, quem secum pariter obtulerat Christo: Nec curabat de præsentibus eius iniuriis, sed potius exultabat, quod eas nequaquam infictuose cernebat tolerari: Parum cogitans de lacrymis eius, sed de propria humilitate ac perfectione sollicitus. Quam districtionem mentis illius atque immobilem rigorem peruidens cœnobij senior, ad comprobandam penitus animi eius constantiam, cum plorare quadam die vidisset infantem, simulans se aduersus eum commotum præcepit patri, vt tollens eum iactaret in flumen. Tunc ille velut à Domino sibi hoc præceptum esset, confestim celeri cursu rapiens filium, vlnis propriis, vsque ad oram fluminis aduexit iactaturus. Quod profecto feruore fidei & obedientiæ eius fuisset opere consummatum, nisi procurati fuissent de industria fratres,

Nouerat Mucius liberos indulgẽtiæ perire, disciplina seruari.

Simplicitas obsequentis.

fratres, qui sollicitè ripam fluminis obsiderent, proiectũq; iam quodammodo de fluminis alueo paruulum rapuissent: Et consummationem præcepti obsequio patris ac deuotione completam ab effectu operis atq; ab ipso fine reuocassent. Qua porro gratia Mucium cœlestis agonotheta remunerarit, quamque grata illi hæc non hærens, non excussa, non ad examen tardioris iudicii ac humanæ sapientiæ, *quæ stultitia est apud Deum,* celeritas obsequendi fuerit, exponit Cassianus cum addit: *Cuius fides atque deuotio in tantum Deo fuit accepta, vt diuino statim testimonio comprobata sit. Reuelatum namque est continuo seniori, hac eum obedientia Abrahæ Patriarchæ opus implesse. Cumque breui tempore transacto, idem Abbas cœnobii de mũdi huius commoratione migraret ad dominum: Hunc præponens cunctis fratribus successorem sibi atq; Abbatem monasterio reliquit.* Tibi verò ipsi non credes, nec quicquam huiusmodi decernes absque maiorũ cõsilio, qui subes, vt per te quid huiusmodi coneris, ne tibi accidat, quod illi seniori miris modis ab architecto fraudũ ludificato, qui filium suum, quem secum ad cœnobium adduxerat, suasu mali genii voluit mactare, & verò mactasset, nisi puer manus patris ad scelus se iam accingentis esset elapsus.

Sapientia imperantis.

1. Cor. 3.

Cassianus cap. 28.

Vita P. P. p. 162.

IVVE-

IVVENIS ANONYMUS.

S. Sulp. Seuerus lib. 1. Dialo. c. 14. Vitæ PP. p. 3. cap. 11.

COmmendatur hic in historia Sanctorum Patrum. Abdicarat se rebus humanis, vt liber & nudus ad signum Crucis euolaret. Venit in cœnobium, vt in cœtum religiosissimorum fratrum cooptaretur: Præfectus ascetarum quasi commemoratione arduarum rerum, quæ illi subeundæ tolerandæq; essent, illum à cœnobio deterriturus, exponit, quàm seuera vitæ disciplina in eo cœnobio custodiretur, quantus rigor seniorũ & quàm dura imperia essent exhaurienda, quæ Atlantis mole grauiora viderentur; proinde abiret, quæreret facilius & remissius viuendi genus, hoc illi intolerabile futurum: Sed nihil difficile amanti; nihil nõ facile credenti: Spondet plenis votis, paratũ se ad omnes maiorum nutus exequendos, etiam si per tela, per ignes esset incedendum. Dubitabat antistes cœnobii, an tam promtis & magnificis promissis facta essent responsura: Furnus pinsendo farri accensus, vndanntibus ardebat flammis, hunc nouitium Christi militem, eodem quo venerat die, eademq; hora ingredi iubet cœnobiarcha: Paret extemplo

tiro,

tiro, & in medios se flammarũ globos promtissimè velut in plumas immittit: Horret ipse qui iusserat spectator Pater, non minus ac Porsenæ Mucii dextram, aut tres Hebræos imperator Chaldæorũ. Nec ignis fuit ausus tantâ virtutẽ attingere, sed velut à sacrosancto capite refugit, illæsumque abire permisit, ostenditq;, aduenam vno temporis propemomento ad tantum virtutis culmen per expeditum obsequendi studium enisum, ad quantum alij plerique toto æuo nunquam enituntur. Non pepercit tamen eadem flamma infami prostibulo mulieris, quæ dũ audiret à sacro mystâ verba fieri de supplicijs inferorum, quibus nocentes mactarentur, dolore scelerum contacta, interpellato sacerdote, quibus, inquit, modis expiabunt noxas, quæ cum sacris hominibus consueuerunt? Hic alter, animaduersa fœminæ simplicitate, per iocum, si inquit, in medium se flammantis camini incendium immiserint. Mulier vulnerata dicto simul sacerdotis, & suo facto, capta occasione in abruptos fornacium ignes se dedit, & exusta animam cœlo transmisit, quod vicini ex eo cognouere; dum alitem ex igne candicantem egressam videre cœlum petere. Recluso enim loco exanimatum corpus extraxere, & incerti re-

Obedientia fortior igne.

Cæsarius l. 6. cap. 35.

rum

rum quasi nocentem, vt quę sibi mortem vltro consciuisset, exclusam communi Christianorum conditorio, in profano campo, infletam insepultamque abiecere, terraque obruêre. Sed Deo placuisse, quamuis non imitandam simplicitatem, cœlestibus significationibus, & flammulis circa tumulum iacentis identidem velut stellis emicantibus ostendit.

S. MAVRVS.

IVuat tertium addere in eodem genere studij obsequelæ eodemque periculo mortis, etsi non ignis, sed vndę, versatum, vt appareret opinor totam naturæ potentiam obsequentibus subiectam esse.

Greg. dial. l. 2. cap. 7. Benedictus in paucis Deo charus; & parens tot religiosarum familiarũ, quæ ab ipso velut fonte manarunt; discipulum habuit Maurum nihil quod imperatum esset recusantem, qui vel ad primam Benedicti vocem excitus, sicco vestigio in medias excurrit vndas, Placidũmque puerum iam procul à ripa vi aquarum abreptum, & cum fluctibus & morte luctantem coma prensum, vti cœlestis olim ephebus Abacuc in terram saluum extulit, ac tum demum sensit se per vndas, vt

Petrum

Petrum ac Christum ipsum, incessisse; quod vbi domum viro sancto & virtutis magistro Benedicto retulit, ille nequaquam illud mirũ sua virtute, sed Mauri obedientia euenisse contendit; contra Maurus ipsius Benedicti imperio factum ascribendum certabat: Tandem pulcherrimi in vtriusque submissione certaminis arbiter Placidus puer affirmauit sibi in aquis meloten Benedicti visam, ac putasse, ab illo se sublimẽ per aquas euectũ. *Vnde sustinent obedientem.*

IOANNES PAVLI Abbatis discipulus.

VIn' addam quartum, nec hunc sine discrimine capitis parentem, Pauli Abbatis (non illius simplicis de quo supra) cœlestis philosophiæ germanissimum auditorem ac discipulum Ioannem, ad omnia Pauli iussa volantem, qualia demum, cumq; illa essent. Fuit, cũ viam à truculentissima fera insessam iuberetur transire, monuit iuuenis patrem de periculo: Si occurrerit, inquit Paulus, leæna, prende feram & alligatam ad me perducito: Expedit iter iunior & incursitantem in se immanissimam beluam conatur retinere, sed excussis illa manibus fugit puerum, *Hist. Patrũ.*

quæ nec armatos gigantes formidasset. Insequitur fugientem tiro, & vero (ô vim simplicis innocentiæ, ô potentiam obedientiæ) inclamat iubetq; Pauli magistri sui imperio sistere cursum feram. Paret feritas ipsa bestiæ simplicitati innocentiæ, & se teneri, alligari, & ritu agni ad cœnobium vsque deduci patitur. Erat interim miris modis sollicitus pro religioso filio pater, ac prope exanimatus metu, quod in sequenda fera prehendendáque impeditus solito tardius reuerteretur Ioannes; veritus ne innocentem feræ prædam obiecisset. Vbi adfuit, immensis Deo senior gratiis persolutis, attonitus admiratione spectabat monstrum: Ioannes vero, En, inquit, pater adduxi quam præceperas leænam. Timuit sapientissimus moderator illius Paulus, ne sentiret adolescens, memorandum quod patrauerat facinus, & consilio: Tam tu, inquit, ratione cares quàm bestia quã adduxisti. facesse feram: dimissâq; tironem verberibus excepit. Nescias vtrum alteri anteponas, doctorem tantæ virtutis, an docilem illius auditorem, vtrumque certè æternis literarum monumentis merito consecrandum.

Feritas leonum paret obedienti.

CRO-

CROCODILIS EXpositus.

LEgitur in Patrum historiis de duobus germanis fratribus in eodem cœnobio degentibus, altero ad obsequendum promptissimo; altero studiosissimo corporis castigandi: Hic ad explorandam fratris sanctitatē mandauit germano suo, vt in flumen crocodilis refertum descenderet; descendit absque mora & absque horrore. affluxerunt immanes beluæ non solum obedientiæ parcentes, sed blandientes etiam & oblingentes obsequentem. Inde ambo in cadauer incidere, precibusque simul fusis surgit rediuiuum corpus. Quod tacitè suæ sobrietati assignauit abstinens, grauiter postea reprehensus à suo moderatore, qui diuinitus cognorat, mortuum ad preces obedientis non abstinentis reuixisse, ita obediens etiam silens locutus est victorias.